DEO OPTIMO MAXIMO, UNI ET TRINO.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ septimâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXIV.

M. CAROLO PAYEN,
Doctore Medico, Præside.

Num suæ sint animi angoribus etiam inter opera Chirurgica noxæ?

I.



EQUI bonique æstimatoris est faciles præbere aures laudibus quæ Chirurgiæ hodiernæ meritò tribuuntur, atque interdum succinere. Voce unanimi Chirurgicum armamentarium instrumentorum in melius mutatorum præstantia commendatius, & in dies solerter excogitatorum numero & apparatu ditiùs celebratur, non secùs ac elegantiori artificio injectæ deligationes. Curiosiùs perlustrati vasorum ductus, explicatæ nervorum propagines, exploratæ fibrarum connexiones, & anatomico cultro reclusa corporis humani penetralia monstraverunt iter quo tutiùs rectiùsque ad malè affectas sedes medela pertingeret. Præclara illa sanè, sed quorum plæraque temporum seriei, repetitis casibus, experientiæ successionibus tribuenda sunt potiùs, quàm intellectu & judicio. Docent enim artium mechanicarum exempla leviores ingenii igniculos impendi in iis quæ expeditiorem operam promittunt, tùm aptioris organi applicatione, tum minori materiei elaborandæ dispendio ex perspecta ipsius textura. Nec illas prætergredi metas sinunt caliginosæ nubes quæ ingenuæ institutionis expertes bonarumque litterarum rudes, & ad solam imitationem flexiles & informatas mentes circumdant & impediunt. Hinc præjudicatarum opinionum ampla seges quæ commissa novarum idæarum germina statim suffocat; hinc pro domesticis usibus stupidè pervicax studium : hinc promptum & acre odium adversùs novas methodos & operandi formulas, quas patienter audire recusant, nedum intelligant. Quam longè alia est nostri ævi Chirurgiæ sors & conditio! Jam fortuitis naturæ conatibus obsequiosi artis illius cultores nobiliori fiducia tentaverunt ferro non violare & in integrum aliquatenùs restituere partes quas rescindendas veluti pondus inutile, imò perniciosum ætates superiores pronuntiaverant. Nunc nihil nos vetat spes inchoare futurum ut Philosophiæ radiis illustrati apprimè dignoscant quibusnam momentis præcipuæ in œconomiâ animali tùm sanæ, tùm læsæ partes sint demandandæ. Ex quo enim illa Medicinæ pars à studio sapientiæ quasi diducta cum eo iterùm coïre videtur, jam non licet Empyricorum more illam exercere, & ex physicis principiis satisfaciendum est sciscitanti, quid in curationum decursu moras nectat rediturae secundæ valetudini, quid cuncta artis molimina reddere queat vana & irrita. Culpandus ergò foret quisquis aut ignoraret aut floccifaceret ea quæ in œconomiâ animali turbas movere possunt inter opera chirurgica. Scilicet cum ex opportunâ humorum temperatione, ex pacato illorum fluxu, ex æquabili motuum rythmo pendeat certiùs quàm ex operantis industria tota sanationis fortuna.

II.

OPERUM Chirurgicorum nomine hìc intelligimus, vulnus arte factum alicui corporis parti jam per se malè habenti, & ex cujus vitio pessumdatur universa machina. Non nunquam tali artificio per partes illibatas via aperitur ut extranea è

cavitatibus recludantur. Undenam mali labes? nùm à causâ internâ, nùm ab externâ, parùm nunc refert disquirere. Juvat solummodò attendere quod in vulnere per accidens robusto & sano homini inflicto vires vitæ incorruptæ sanationis terminum possunt removere; dum è contra in vulnere quod fit de proposito, consultò, aut de industria, sæpè sæpius multùm de corporis robore jam perierit, priùs exantlatis laboribus. Cæterùm utrinque primis diebus eadem sunt pertimescenda accidentia, nempè, hæmorrhagia, convulsio, inflammatio, dein gangræna, &c. His autem, si supervenerint, compressis ad repletionem & glutinationem pariter contendendum est. Quæ ut prospere succedat pari diligentia cavendum ne ros vitalis allabens nimia crassitudine aut tenuitate peccet, ne canales justo strictiores exitum huic denegent, aut laxiores non aptè elaboratum effundant. Summum porrò prudentiæ erit opportunè occurrere humorum diluviis quæ nervosarum partium vellicationibus & commotionibus succedunt, & præcavere fibrarum resolutiones quæ productos rigores & distensiones excipiunt. Verum oblata hæc similitudo non-ne dat suspicari quid sentiendum de solemni corporis præparatione antequàm chirurgicum auxilium experiatur, & quibusnam remediis possit reverà præmuniri adversùs imminentia. Nam si aliundè sanum esset, quo fine præsentem statum intervertere? Si autem aliqua subesset labes, nihil omninò movendum, donec, quo fieri posset, propior sanitati valetudo revocata esset. Undè anceps magis haberi posset vulneris fortuitò illati eventus, quam operis Chirurgici: quandò quidem temporis electio ex arbitrio medentis pendeat. Et quod periculum minuit & sanationi non parum favet; quandò *Chirurgus vulnus facit non accipit*, ut Celsi verbis utar, penes illum est continui solutionem ultrà quàm par est non protendere, ferrique dimovere aciem à partibus, quæ alias omine infausto attingerentur. Aliundè ergò irruant necessum est calamitates quæ chirurgicas curationes periculosæ plenis aleæ operibus annumerant. Forsan sibimet nocet, & felicem exitum invidet tædia exasperando hominis cui opitulari volunt diversa conditio & indoles varia. Tantumne valerent animi angores, quibus intereà exagitatur, ut perturbarent naturæ & artis consilia?

I I I.

HOMINEM constare mente & corpore fatentur cordati omnes. Inter utramque substantiam mutuum intercedere commercium ultrò agnoscunt; licet societatis leges & vincula judicio assequi prorsùs nequeant. Quotidiana interim probat experientia ob unius consortis ægritudines alterum plecti, & vividum ingenii acumen cum sanitatis flore simul evanescere & regredi. Longum nimis foret hìc recensere alia gravissima argumenta quibus evincitur quanta efficacia in se invicem agant. Attamen nescio quo fato in horas contingit, ut qui circa mentis humanæ regimen versantur, ab ea expectent, quæ à corpore soluta, & sui juris prestare vix compos foret: dùm ex adverso qui corporis curam gerunt, quoties aliquid moliendum est, toties conjugatæ mentis obliviscantur potentiæ, illudque tantum-modò pro mole solidorum & fluidorum in motus qualiter-cumque excitorum habeant. Sua videant & procurent morales Philosophi. Perpendere impræsentiarum lubet an aliquid hactenùs ausi sint illi quorum est artificioso manuum subsidio adversùs malorum insultus corpus tueri, ut à se oblivionis hanc notam propulsarent. Statim invenimus illos ubique advertisse ne ægrum curis & sollicitudinibus morosum anxiumque curationis periculis committerent. Videmus illos callida benevolentia ægros officiosè deludere ne citiùs justo horam ad opus condictam ipsis revelent. Paulatim verborum lenocinio sensus assuescere docent doloribus. Sensim formidinem excutiunt, injecta spe levaminis & redintegrationis; usque adeò censent serenam mentem liquida & solida irradiare justa temperie, & attonitos fractosque animo languere subitò & marcescere. Sic etiam opere peracto cautè depellunt & compescunt animi æstus tùm lætos tùm malignos, qui tranquillam œconomiæ animalis faciem momento in turbidam & procellosam converterent. Ubi vero ad opus se accingunt, jam non sibi constant. In alios homines mutatos illos libenter diceres. Tenacius justo memores præceptorum Celsi omnem misericordiam exuunt. Parùm abest quin induceris ad credendum ipsis non ampliùs cum sui similibus, sed veluti cum trunco aut stipite

rem eſſe. Oculis ſolummodò inhæret ferri mucro vel acies ne oberrans offendat partes quas tangere nefas Quaſi verò damnoſa foret una hæc incuria, & ſalutis ſpes in manu ſtrenua digitiſque induſtriis tota reſideret. Proindè parvi faciendi eſſent terrores & angores interni quibus animo linquitur æger & collabeſcit. Hanc ſecuritatem & confidentiam brevi deponerent ſi vel leviter conſiderare vellent inſtantem ægri ſtatum. Hoc temporis punćto ſenſus omnes refugiunt & trepidant ad attactum urentem inſtrumentorum : contremiſcit genus omne nervorum ob membranarum vellicationes & dilacerationes, & inhorreſcit præ ligaturarum tormentis. Tùm emota, ut ita dicam, è ſuis ſedibus anima, primùm vitales cunctas facultates ad auxilium ſollicitat, ærumnarumque profligationem. Paulò poſt quaſi victa fatiſcit. Verùm nec ipſi quieti quæ tantos ſubſequitur tumultus fidere datur. Suis etenim non vacat perfidiis doloſa hæc ſerenitas. Rigidæ torpent fibræ motuum organa : circum præcordia, circa ſenſuum arcem morantur ferali gelu ſuſpenſi ſanguinis rivi; donec refocillatis pauliſper viribus fremebunda natura in novos furores rapiatur, & adverſus obices inſurgat novas effectura tragœdias.

IV.

AD has triſtes incitas redactam ægri vitam mœrens quis revocare non optaret primævæ chirurgiæ conditorum beatam conditionem, qui, Herculis more, igne ferroque armati monſtra morborum debellabunt. Nec feritas remediorum, nec unguentorum applicatorum ſimplicitas, nec ruſticitas deligationum curationis exitum procraſtinabant. Attamen omni depulſo ſtupore fateri cogimur dubiam illis palmam reddere atroces ægrorum animos, firmitudine cum auxiliorum diritate certantes, noſtriſque temporibus hæroïcam hanc medicinam felicitate pariter & laude facile ceſſuram. Fingamus noſtra cogitatione imaginem gentium Americanarum, homines non tam rationis lumine quam aptitudine ad illud aſſequendum civilibuſque officiis manſueſcendum à feris diſtinctos; ſuprà captum humanum ad omnem patientiam induratiores; qui, ut paucis abſolvam, adeò ferrei ſunt, ut divulſis interraneis ſemiuſtiſque artubus tortorum iram cantu & convitiis adhuc provocent & accendant. In ſimili corporum textura meat oportet mentis energia ad hunc pervicacia gradum longo uſu unicè directa, imperioſoque aliarum idearum ſtimulo deſtituta. Fidem quoque veſtram ſollicitabimus exemplis eorum qui eò ſecuriùs, eò certiùs tùm à vulneribus, tùm ab operibus chirurgicis reſurgunt, quo exactius ærea illa pectora referunt. Quotidie cernimus, ruſticos & homines infimæ plebis, gregarios quoque milites, ut ut rudìter tractatos, ex horrendis vulneribus brevi convaleſcere : dùm urbani, centuriones, duces & optimates cunctis vitæ commodioris mollitiis & luxu affluentes, atque arte ſolertiori ſublevati per varios & ancipites caſus vix ac ne vix emergunt multò leviùs ſauciati. Quin imò, teſte *Baglivio*, pavor & ignavia in vulnus excipiente difficiliorem quandoque reddunt ſanationem, quandoque artis virtutem ſuperant; propter adventitiam fibrarum inertiam, imbelli laxatorum nervorum ſuccuſſu nullatenùs ſuſcitandam. Non mirum ergò ſi ruricola cunctis doloribus pectus inacceſſum offerens, attamen mortis formidini haud impervium, animosè ferat ſectionis cæſareæ cruciatus contrà quos affulgenti ſpe retinendæ vitæ præmunitur. Talem animum afflare fruſtrà molireris Matronæ quæ ad ferri conſpectum acerbæque ſenſationis ideam tota præ horrore convellitur atque penè deliqueſcit. Quod ſi languoris momenta ſalutari auxilio impendere auderes, non te fugiat quanto in diſcrimine res verſentur ſoluta & quaſi diſtracta animæ luctationibus corporis compage. Certiſſimo equidem argumento gratam donorum mentis uſuram corporis commodorum jactura non nunquam redimi. Majus idcircò periculum inter opera chirurgica eos obire qui magis intelligentia & exquiſito mobiliorique ſenſu præpollent, quoties & quandiu has dotes pro arbitrio exercere illis ſitum eſt.

V.

ACRI meditatione de phænomenis quæ reciprocam actionem mentis in corpus, & corporis in mentem vel antecedunt, vel comitantur, perſpicimus, non deeſſe artificium quo intimæ unionis illius nodi adeo remiſſi fiunt, ut ferè diſrupta,

aut saltem suspensa prorsùs appareant fœdera. Sic ad plenioris solatii & juvaminis gloriam ars sanandi evehitur, quam si in otiosa relatorum accidentium prævisione aut mera consideratione quiesceret. Scimus fidas vigilum sensuum excubias, lucis instar, mentem dolorifica sensatione expergefacere & admonere, cum instat molesti aliquid. Scimus quoque animum in alta contemplatione defixum huic monito sæpè non respondere, nec priùs illatæ noxæ fieri conscium, quàm suum fervorem compescuerit, & sese recollegerit. At nec in volentis potentia, nec pro jubentis nutu adest hæc doloris vacuitas. Ad physica adjumenta si nos convertamus, reperiemus primo ope laqueorum comprimi nervos, & reverà obscurari dolorem acrem; sed non tolli omninò, & cunctorum quæ extùs peraguntur participem remanere animum, aut incensum suspicione latentium fieri anxiorem & agitatiorem. Adde quod æquè commodè ad quascumque indiscriminatim partes nec aptantur, nec alligantur laquei. Neque magis sectioni aut ustioni sentientis nervi locus datur, præcipuè in partibus ad quarum sensum plurimi concurrunt nervorum rami ex diversis truncis oriundi. Unicum saltem restat confugium & certum asylum in stupefacientibus medicamentis, quæ velut incantamento animam è corpore extrahere, & vagam procul à dissociato consorte aliquandiù tenere valent. Sensus suos ministros auscultare impar est, sive quatiantur nervi ipsis dicati, sive contremiscant vibrentque. Per universum corpus propagatur horum medicaminum efficacia quàm intendere aut minuere pro lubitu poterit quicumque sedulò inquisiverit quid & quomodo agant. Est insuper genus aliud medicamentorum illis suppar: *Tonica* vocant. Fibrarum tùm nervearum, tum carnearum laxitati & inertiæ opitulantur, sicque resolutionis arcent periculum; cum his quoque humorum stagnationibus & corruptionibus obviam itur. Priora tollunt animo conscientiam violentiæ externæ, & aliquo modo supplent hanc constantiam & firmitudinem superiùs celebratam, ad quam ne mentes nostri ævi assurgant prohibet ingenita indoles simul & acquisita. Posteriorum applicatione robur temporarium fingitur in fibris, ut minus noceant enervatæ vires humorum effluxu aut exhalatione, ut illorum debita crasis foveatur & abnormes coerceantur paris exundationes à quibus tot strages ægrorum & medentium cruces. Utrisque ritè adhibitis quot aliundè calamitates averterentur. Sed imprimis spastici illi dolores qui partem à vulnere remotam caput v. g. aut præcordia stringunt & vitam, velut aura pestilens, adimunt. Omnem infortunii metum solabantur industriè peractum opus chirurgicum, læta vulneris facies, donec dolor ille maleficus, fulguris in modum, procellam adventare nuntiaret. Undenam illa, nisi à prius turbato & infirmato ob animi anxietates fibrarum medullæ cerebri tenore. Concludere hinc licet,

Ergo suæ sunt etiam inter opera Chirurgica animi angoribus noxæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Natalis-Andreas-Joannes-Baptista CHESNEAU.

M. Joannes-Franciscus PARIS, *Anatomes & artis Obstetriciæ in gratiam Matronarum Professor.*

M. Dionysius-Claudius DOULCET.

M. Bartholomæus-Tussanus LE CLERC.

M. Ludovicus Gabriel DUPRÉ, *Serenissimi Principis Condæi Consiliarius Medicus.*

M. Antonius PETIT, *è Regiâ Scientiarum Academiâ.*

M. Claudius-Carolus DE JEAN.

M. Franciscus-Felicitas COCHU.

M. Josephus DE JUSSIEU, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*

Proponebat Parisiis MATTHÆUS-THOMAS LA CASSAIGNE, Parisinus, saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1764.